

S. MATERNVS, EVCHERIVS, ET VALLERIVS,
Rhenensium Apostoli.



CVm D.Petrus Ecclesiam Christi Romę uerbo Dei salutifero pasceret, non contentus fuit uno in loco gentilium superstitiones tollere, & vineam Domini plantare, uerum etiam ad alias partes pios & eruditos viros suos discipulos emisit, qui homines instruerent. Præsertim autem id in prouincijs Iralicis & Gallicis factum est, qui bonis literis instructi, reliquis Barbaris aptiores erat ad diuinum cultum capescendum. Itaque Maternum, Eucherium, & Valerium ad Rhenenses Germanos, qui Rhenum sub Ariouisto rege transgessi, Galliæ partes inhabitare ceperant, misit, atque ihs Euangelium prædicare iussit. quod quidem illi gnauiter perfecerunt. In primis autem Maternus omnem operam adhibuit, ut Christi uera doctrina paßim spargeretur. Itaque primò in Alsacia, Anno Christi 55 Ecclesiam constituit, atque piorum opera usus non procul Selestatio, in loco quod tum Nouientum, nunc uero Ebersheim Munster dicitur, Idolorum celebre templum destruxit, quod ante centum & amplius annos Iulius Cæsar, qui Galliam Romanis subiecerat, fundarat, suis dñs ob uictoriā ademptam, sese gratum declarans. Postea uero Argentinam, Treuerim, Moguntiam, & Coloniam profectus, ubiqz aliquos Christo lucratus est. Propterea eorum locorum annales, eundem primum suæ regionis præfulem constituunt.